

enim, verbi gratiâ, in Logicâ generali ponis hoc præceptum; definitionis partes sunt, terminus convenientia & differentia, seu genus & differentia; & addis hoc exemplum, Peccatum est actio ἀνομος, contra legem: non statim scis quomodo sit utendum definitione si velis explicare, demonstrare, vel amplificare. Manet ergo quod modò diximus, exempla servire explicationi præceptorum, applicationem minimè monstrare.

Satis de præcognitis Logicis, in quibus naturam & studium hujus artis explicatè tradidimus: nunc ipsorum instrumentorum explicationem aggrediemur, priùmò dicturi de termino.

Cap. 2. Thematis communes affectiones.

Vocabulum
termini ex-
plicatum.

Terminus est instrumentū noëticum materiam ad bene disserendi propositam regens.

Aptissimum est vocabulum hoc *terminus* ad naturam sequentium instrumentorum, quæ sub se habet, tanquam genus suas species, declarandam. Propriè significat limitem, qui agrum ab agro dividit, & per translationem pro quavis fine accipitur. Cum igitur instrumenta Logica alia sint materialia magis, alia formalia, quorum illa sic dicuntur, quia materiam dissertationis gubernant; ista, quòd formam ejus dirigant; rectissimè materialia illa instrumenta vocantur termini; quia terminant dissertationem, hoc est, certos fines circumscribunt, extra quos inter disserendum non liceat vagari. Tales termini sunt thema & argumentū. Nihil enim aliud præter hæc duo in quâvis dissertatione juxta Logica præcepta institutâ occurrit.

Terminus est thema, vel argumentum.

Sufficientia hujus divisionis patet è modò dictis. Hic obiter notandum, nos minimè repudiare sententiam illorum, qui trichotomiam Logices generalis proponunt, ita ut prima pars illis dirigat primam mentis operationem in apprehensione terminorū simplicium; secunda, compositionem & divisionem

Trichoto-
mia Logi-
ces an possit
consistere?